DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA DE ENCEPHALITE QUAM AD...

Giuseppe Lazzari

Digitized by Google

DISSERTATIO INAUGURALIS

MEDICA

DE

ENCEPHALITE

QUAM

AD MEDICINAE LAUREAM

RITE ASSEQUENDAM

IN ANTIQUISSIMO ET CELEBERRIMO

Archigymnasio Patavino

PUBLICE PROPONIT

JOSEPH LAZZARI

RODHIGINUS

PATAVII

EX TYPIS VALENTINI CRESCINII

1835

Digitized by Google

Digitized by Google

PRAECLARO · AC · CELEBERRIMO

MARINO · ZAMBONI

MEDICINAE · ET · CHIRURGIAE

DOCTORI

IN · COSTA · RODHIGINAE · PROVINCIAE

PAUPERUM · PATRI

OPTIMO · SODALI · INGENUO

SACRAT

AUCTOR · AMICUS

Digitized by Google

Digitized by Google

DE ENCEPHALITE

Si desint vires tamen, est
laudanda voluntas.
OVID. L. 3. EP. 4.

DEFINITIO.

Perniciosa atque omnium crudelior inflammatio, qua cerebrum universim corripitur, et Graeco nomine vocatur Encephalites, a repentino et acuto capitis modo universi, modo occipitis solius aut verticis dolore cum febri continua vehementi, cum mentis stupore, et interdum etiam abolitione, cum immodica corporis totius agitatione cognoscitur.

Variis ac prope disparatis nominibus ab antiquioribus designabatur. Ab Hippocrate sphacelismus, a Galeno sphacelus, a Latinis sideratio, ab Alexandro Aphrodeseo ulcus cerebrum depascens, ab aliisque encephalonasos, apoplexia purulenta, phlegmon cerebri, Phrenitis, febris Cerebralis maligna, a Sauvagesio cephalitis, a nuperrimis tandem cerebritis dicitur.

Digitized by Google

Causae morbi.

Verum indubitatumque est, inflammationem cerebri nullam habere rationem ad aetatem, sexum, constitutionem, organorumque structuram. Sed quamvis nonnulli scriptores reapse affirment, hunc morbum virilem potius prae omnibus aetatibus assequi, patet verum tamen infantes, puerosque frequentius afficere; nec hujus observationis veritas difficilis est, ut probetur; etiam primum non ita prorsus attente infantum, atque puerorum morbi cansiderantur, deinde eruitur ex eo quod causa proxima Encephalitidis pueros aeque ac senes eodem modo corripere solet, hoc est cerebralis sanguinis congestio. Verum autem quidem est, in senibus Encephalitidem partialem, ac praecipue Arachnoitidem facillime detegi posse. Ex factis etiam, quae quotidie succurrunt, constat, quod plus quam foeminae, viri huic morbo subjiciantur, quin immo observatur frequentius hoc laborare morbo homines, qui summa nervorum mobilitate, et cerebri natura irritabili, ut dicunt, praediti sunt.

Praedisponentes inter causas *Ipertrophia* ventriculi sinistri cordis, imminutio vel suppressio assuetarum haemorrhagiarum, liquorum abusus, nimis acceleratus motus, immodicus venationis amor, suppressa traspiratio, tristesque morales

Digitized by Google

affectiones recensentur. Communiores autem inter causas occasionales, ictus ad calvariam nimium gravis nec non a capsulae osseae fractura concomitatus, irritatio cerebri directa ex praesentia partis ossis alicujus, vel cujuslibet materiae, concitata, solis calor protractus, somnifera venena, miasmata palustria, vomitionis conatus maxime ex Emetico concitati, pavor et terror, nec non phlegmasiae alicujus disparitio, enumerantur.

Hisce Encephalitidis causis adjice iram, anginas ottitides, externas capitis inflammationes, erysipelata, exanthematum repulsiones, studium nimium intensum, vigilias protractas.

Encephalitis vel a nullo (et primaria dicitur), vel ab aliquo morbo originem ducit (et secundaria vocatur). Haec inflammatio, prout aliis noscitur in morbis, *idiopatica* ob maximam ad fibrarum incitationem proclivitatem, vel *symptomatica* vitalem ob antagonismum in nostris corporis organis recensetur.

Symptomata morbi.

Raro sola occurrit Encephalitis; quod si aliquando eveniat, dificillimum nobis videtur tamen, hujuscemodi phlegmasiae, omni hoc in argumento complicatione remota, descriptionem praebere. Et reapse Encephalitidis vel subita-

Digitized by Google

2 oc°

neus, vel lentus impetus invenitur, vel si quidem praecedentia inveniuntur symptomata, in hisce praesertim enumerantur principiis, ex cerebri congestione vel irritatione excitatis, prout visus obtenebratio, accidentalis strabismus, partis alicujus infirmitas, corporis, artuum formicatio, tendinum subsultus, Epilectica symptomata, repentinus uno e corporis latere a nervorum convulsione motus (et hic ab illa concitata ex chronica Arachnotide Encephalitidis character secernit) auris tinnitus, illusiones opticae, in quibus plerumque objecta rubro colore depicta in medium proferre videntur, praecipua nobis hujus morbi, de quo pertractamus, principia suppetunt. Cum morbus incedat, raro mens decipit; pupillae contractio, vel membrorum dolor, vel strabismus, ac inde stupiditas, veternus, obcoecatio, amissio linguae usus, vel lingua paraliticum ad latus tendens, cum aegrotans illam emittere cupiat, occurrunt; et hac de causa linguam saepius aridam, albo muco tectam, ac proinde musculorum paralisim videmus. Ut tandem diagnosim ad finem perducamus, adjiciemus etiam prout cephalaea eo ex latere laboret, ubi flogosis incessit, et musculorum contractio oppositum latus inficiat. Cephalaea autem certo imminuit modo, quo facultates intellectuales evanescunt, dum musculorum contractio fere semper intermittit, motum e convulsione immutat, et tan-

Digitized by Google

dem nimiam ob sensibilitatem paralysim producit. Praecipuum et symptoma erit particularis odor, quem aegrotans emittit, et Medicus percipere potest, et id maxime evenit, cum excretiones necessariae non habeantur propter reactionem, in quam viscera semper antagonismi causa incurrunt. Huc accedit continua corporis agitatio, adeo ut aegrotus semper locum quaerere videatur, quo conquiescat, et semper desideretur.

Adhuc aliquid de delirii symptomate adere putavimus. Etsi a plerisque ex Neotericis etiam inter praecipua encephalitidis indicia mentis alienatio adnumeretur, ex observationibus tamem eorum, qui fuse accurateque de cerebri morbis egerunt, luculenter patet, eamdem fere numquam vera in Encephalitide apparuisse, aut si quando hujus inflammationis comes fuit, cito evanuit: ex hoc ideo fit ut parvi momenti habeatur. Quin immo propter delirium Arachnoites ab Encephalitide distinguitur, cum sedulis Lalemandii disquisitionibus practicis innitimur, deque hujusmodi discrimine rationem reddit. = Le délire a lieu dans l'arachnotide parceque le cerveau se trouve gêné dans son action par cette phlegmasie, sans que sa substance soit rendue impropre à l'exercice de la pensée: le délire n'a point lieu dans l'encéphalite parce que la substance cérébrale fortement irritée et profondément modi-

Digitized by Google

fiée par l'état inflammatoire, ne peut plus vaquer convenablement à l'exercice de la pensée. Dict. Abr. de scienc. medic. Encephalite). Celeberrimus Burserius licet suis illis temporibus tam insignibus Physiologiae ac Pathologiae doctrinis recentioribus detectis imbutus non fuerat, verum longe alios in morborum cerebralium investigationibus excellere mihi videtur: atque ut clare res pateat, ipsis ejus verbis utar: sed primum opus est animadvertere, Phrenitidem Aracnoditidi respondere, et sphacelismum Encephalitidi. « Non tamen cum phremitide inflammatoria unum eundemque morbum esse cerebri sphacelismum putes velim, quamquam utrique communis causa esse possit. Nam non leve discrimen est inter utriusque naturam et Phaenomena. Phrenitis enim quacumque ex causa fiat, delirium acutum et assiduum est, et quando ab inflammatione pendet, plerumque ferox et audax cum perpetuis vigiliis. Contra sphacelismus ..... repentinus et acutus capitis dolor est cum stupore, et quadam sensilitatis diminutione brevi in anaesthesiam desinente. Fortasse loci etiam affecti ratio differentiam facit. In Phrenitide magis exteriora, in sphacelismo interiora cerebri, et cerebelli occupari probabile est. » (Burserius instit. Medic. V. V.° §. CLXXVII.

Inflammatio, de qua nunc loquimur, respirationem tantum ad vitae finem perturbat; nec

impedit ut arteriae aequis moveantur intervallis, cordis motum non accelerat, sed potius (quamquam raro) mentis facultates invertit, eodemque tempore imaginatio servet. Aliquando artuum paralisis apparet; ad hoc adjiciemus, paralises diversas, de quibus supra verba fecimus, locum morbi, de quo nunc pertractamus, patefacere. Inflammatio haec quandoque symptomaticas vomitiones producit, quae cum ita eveniant, e pallore cutis, et ex insolito et copioso linguae humore, et ex arteriae inaequali motu noscuntur. Quod si cutis caleat, arida fit lingua, et in extremitate rubra, et pulsus acceleratus, tunc vomitiones, quae cerebri phlogosi sympaticae erant, ex inflammatione viarum digerentium producuntur. Haec tamen symptomata aut in vi aut in processu variant; et si pus definito in loco coacervetur, ex improviso cerebri irritatione imminuta, sensim et symptomata imminuuntur, et evanescunt quasi modo, ut valetudinem habeamus. Attamen intellectuales facultates hebetes remanent, et lenta aegroti sunt responsa, nec non lenti motus, cito veluti extraneum corpus agens pus irritat cerebri substantiam, et inflammat: omnia Phaenomena, quae silere videbantur, denuo in medium eminent, et gradatim vehementiora fiunt, adeo ut aegrotans de vita decedat. Attamen quandoque evenit, ut affectiones, quae subsequuntur, vigorem amittant, immo penitus evanescant.

Digitized by Google

204

Aegrotus interdum paralisi afficitur, aut uno tantum ex artubus superioribus aut inferioribus, aut facultatibus intellectualibus destituitur, aut memoriam tantummodo amittit, aut viget aliquod ex symptomatibus, quae nos veluti morbum praecedentia indicavimus.

Cum res ita se habeat, encephalitis fit cronica, et pus in vescica, quae cistis vocatur, se obvolvit, aut pars illa ex cerebrali substantia, quae inflammationis locum praebuit, obdurescit. Haec chronica conditio, et primiter dari potest, et aliquando nonnulli moriuntur ex improviso; quamquam plerique post menses, et annos etiam multos elapsos, in quibus non admodum gravia cerebralia symptomata obtulerint, vitam amittant; et magnopere tunc obstupescimus, quandoquidem in cerebro adeo notabiles perturbationes inveniantur. Certum et quidem est quamlibet corporis partem abscondito quodam morbo laborare posse. Symptomata tandem cerebritidis intermittentia esse interdum quidam auctores arbitrantur, et hoc in casu auctores ipsi febrim intermittentem perniciosam morbum hunc appellant. Si Gallicis scriptoribus fidem praestare est, nonnullas inflammationes intermittentes dari possunt. Experiri tamen potis sumus quin alicujus opinionis partes sequamur, inflammationem suum curriculum semper perficere usque ad finem, nempe ad exitum cujuscumque generis. Sive

Digitized by Google

plus minus vehementer aut profundius corporis humani contextus afficiat, etiam serius, ocyusve progressionem faciat, tamen fibras ejusdem organi eodem tempore occupare, et non occupare numquam poterit. Datur quidem perniciosa febris, quae aut Arachnoitidem, aut Encephalitidem simulat, quae ab antiquis delirans aut Phrenitica, aut nisi *fallor* apoplectica nuncupatur, sed inter inflammationes recenseri non debet, etenim sub corticis, aut salis antefebrilis usu illico atque immediate evanescit, quod in inflammationibus, per quam leves sese proferant, non contingit. Sed maximo in modo cerebritidis diagnosticum implicat similitudo illa, quae inter symptomata propria progressus, et inter illa Arachnoitidis, et quidem cerebri colapsus et apoplexiae invenitur; ita ut cum antea dicta Phaenomena vix abservata succurrant, medicus facillime cerebri phlogosim cum caeteris supradictis affectionibus confundat. At vero celeberrimus Lallemandius hujusmodi affectionum hoc potissimas dissimilitudines modo secernit.

In Arachnoïdis inflammatione professor ille ait: Symptomata spasmodica absque paralisi, in apoplexia (Hemorrhagia. Cerebri) paralisis subitanea absque symptomatibus spasmodicis; in cerebri Phlo-gosi, symptomata spastica, paralisis lenta, et procedens, inaequalis et intermittens progressus patefiunt. Hic animadvertendum est, quae supra

Digitized by Google

asserere non dubitavimus, cursum acutae cerebritidis non semper rapidum, media temporis proportione sex ant septem constare diebus; aliquando minor, quandoque ad unum supra viginti diem protrahitur. Gravem semper constituit morbum, quod si ex hac cerebritide mors non sequatur, majorum aut minorum aegrotationum causa provenire arguitur: attamen in resolutionem terminat, at quotiescumque melius morbi curatio dirigatur quam usque hoc ad tempus non evenerit, probabile est hujusmodi inflammationem feliciorem saepe saepius exitum evadere posse. Comunior exitus per suppurationem, quandoque durities adest, sed maxime raro gangraena observatur quae fortasse tum inveniri potest facilius, cum Cerebrites ex Cerebrali substantiae egressu sit constituta. Haud determinata chronicae Cerebritidis stabilitas. Cerebrites intermittens, quae ad perniciosas febres pertinet, si Chinae Chinae praeparationes *protinus* non administrentur, fere semper aegrotum sub tertio accessu occidit, et fortasse statuendum est eam ad sestum diem numquam pervenire.

Characteres Anatomici.

Instituta cadaveris sectione cernitur substantia cerebri inflammati in aliqua ejus parte mollis, et quasi liquefacta, dum pars altera fere to-

Digitized by Google

tam fibrillarum firmitatem retinet. Haec laesio crescit in cineraceae substantiae sinu, supra striatum corpus supra opticorum nervorum thalamum, supra anularem protuberantiam, utpote quae partes omnes majorem praecipuorum vasorum quantitatem, quae ad cerebrum incedunt, excipiant. Cum mors in prima inflammationis periodo eveniat, pars mollita sanguine foedatur, et vario ipsius causa colore, rubeo, violaceo, amaranthi floribus simili, vel subfusco inficitur, et ultimus ex hisce coloribus a sanguinis confusione cum cineracea substantia extat. Cum major fit morbi incessus, pus mollitam inter substantiam vicem sanguinis gerit, et illam vel lurido, vel sub-flavo, vel subviridi colore sufficere solet. Inde hic liquor una in cavitate coacervatur, in qua cerebri reliquiae natant, et cum tandem morbus fiat chronicus, pus se tali in cystide obvolvit, cujus confectio eo plus progreditur quo majus diuturnum sit infectionis tempus. Infirmitas, color, odor puris variant: etenim aliquando densus, sero abundans, albus, subviridis, interdum subcineraceus, fere semper odore carens, quandoque graveolens. In Chronica tandem Cerebritide quaedam durities sordidae similis Cerae, tuberculae scirrhosae ac cancerosae degenerationes inveniuntur.

Digitized by Google

209

Prognosis.

Quo vehementiora sunt Encephalitidis symptomata, quo magis diuturna inflammatio ac pertinax, eo magis funesti ominis inditium de morbo statuere oportet. Idem proferendum si inflammatio a suis usque primordiis neglecta fuerit, aut si recidiva incesserit. Peculiarem hanc observationem addere refert, quam si licet non novam esse existimavimus, sed tamen ab auctoribus non adhuc recensitam, idest si ingruente Encephalitide dum febris maximo impetu percita ardenter flagrat, aegrotans nihilominus prorsus repentinum levamen experiri quodammodo videtur, ex hoc infausta praesagia eruenda sunt. Haec proferre animus quidem refugit, quamdoquidem aegrotus, qui ita se se habuit, amicus noster atque propinquus fuit (1).

(1) Angelus quidam Baruchello de Costa Rhodiginae Provinciae firma atque optima alioqui corporis constitutione praeditus, venationi deditus, Emicrania frequenter laborans, vehementibus animi pathematibus saepe exagitatus, post immodicum motum, post innumeras aeris vicisitudines superatas, post sudorem repressum, post noctes Hiemales pene sereno aere peractas dira Encephalitice correptus fuit et quinta morbi die mortem obiit immaturam, de qua conjuncti, pauperes, patria, Religio, lacrymas effundunt.

Digitized by Google

Methodus Curae.

Natura morbi, de quo nunc pertractavimus, primis erat temporibus ignota, et curae ipsius ad Empirismum potius pertinebat, nostris at diebus facilis adest methodus, et effectus clare anteponendam antiphlogisticam methodum esse demonstrat, quam quidem perspicacissimus Burserius ante alios consuluit. Sed in primis operositas et diligentia requiritur: organum enim sensilitatis facilius quam dici possit, ad solutionem pervenit, et brevia sunt momenta in quibus utiliter medicus agere possit. Sanguinis missiones frequentes et copiosae, Hirudines ad aures, glacies supra caput; clarissimi autem auctores carotidum compressionem omnibus in cerebri Phlegmasiis proposuerunt; eodem et tempore catartica remedia maxime sub Cristeri forma, dum haud irritatae sint viae digestionis, sed generatim in toto morbi cursu diluentes potationes utantur; Diaeta vero austera necessarissima, et tantum cum morbus gravescat, vel fit chronicus, semper catartici ad meliorem salutem recuperandam jubeantur. At certe quidem cum cerebritis fit chronica, necessaria vescicatoria suppurantia, et setacium ad nucae regionem. Quoad chronicam cerebri inflammationem melior non noscitur cura. Cito China China administretur

Digitized by Google

oportet si intermittens sit febris: quo quidem in casu non agitur de inflammatione, quae nullum intervallum sane patitur, ut superius dictum est, verum de febre perniciosa, quae nullo alio remedio quam chinae praeparationibus cedit, et si quandoque accessus persistat, vix una sanguinis emissione vincitur: etenim perdurante febri non inflammatio, sed semper sanguinis turgor cerebri contextum afficere solet.

Digitized by Google

THESES DEFENDENDAE

1. *In convulsionibus infantum melius est curare nutricem quam infantem.*

2. *Bubo venereus primaria potest evolvi origine, scilicet quin ulcera aut condilomata illi praecesserint.*

3. *Organa genitalia insignem colunt cum organis pulmonalibus philadelfiam.*

4. *Emeticorum usus in amaurosi quandoquidem laudandus.*

5. *In morborum therapia conditio magis pathologica quam diatesis ita dicta consideratione summopere digna est.*

6. *Medicum aeque ac Chirurgum fortunatum esse oportet.*

7. *In re medica fere quot capita, tot sententiae.*

8. *In omni morbo regimen diaeteticum est maximi momenti.*

Digitized by Google

212

9. *Si carcinoma adest, adfuit scirrhus.*

10. *In cateracta unicum remedium est operatio.*

11. *In operatione cateractae methodus seligenda illa est caeteris paribus, qua Chirurgus magis exercitio pollet.*

12. *In curandis morbis empirieus utilior est illo, qui novas condit theorias.*

22 936697

Digitized by Google

Digitized by Google